


Disputatio ... De Praedestinatione ...

**Disputatio Tertia, Partis Secundæ : Qua Reliquæ contradicentium phlyariai vocationi Universali oppositæ, cum aliis argumentis, imprimis Wendelini considerantur, & ex Dei verbo refutantur**

Rostochii: Typis Nicolai Kilii, Anno MDCXLII

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1855146010>

Band (Druck) Freier  Zugang



DISPUTATIO TERTIA,  
PARTIS SECUNDÆ,  
DE  
PRÆDESTINATIONE,

Qua

Reliquæ contradicentium φλυασιαι voca-  
tioni Universali oppositæ, cum alijs argumen-  
tis, imprimis Wendelini considerantur, & ex Dei  
verbo refutantur,

Quam

Auxilio Altissimi

PRÆSIDE

JOHANNE COTHMANNO,

S. S. Theol. Doctore & Professore,

Publicè proponit

M. JOHANNES MÖLLERUS,

Sufato-Westph. S. S. Th. Studiosus.

Ἡ ἀνεγερθεῖσα Majori horis matutinis

6. August.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLII,

Dissertation  
Rostock  
Theol. Fak.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

464-1823

Mecklenburgische  
Landesbibliothek  
Schwerin

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Mecklenburg  
Vorpommern  
Landesbibliothek  
Schwerin

Ko



I.

**N**cepimus nupero discursu, contra Wendelinum inprimis, calamum stringere, ille enim cum adhuc in vivis sit, se melius de fendere, vel etiam errores suos quod speramus & simul optamus agnoscere poterit. Postquam ergo nonnulla Wendelini argumenta præcedente συζητησά consideravimus, reliqua quæ habet hac vice breviter expendemus. Pergit ergo probare Thesin suam; voluntatem scil. Dei propriè sic dictam semper impleri. Unde concludit voluntatem quam vocamus antecedentem, & tamen eandem fieri semper non dicamus, voluntatem propriè sic dictam non esse.

2. Respondeo distinctionem voluntatis in antecedentem & consequentem tradit *Polanus syntag. Theol. lib. 2. c. 19. p. 442.* & ait Deum seriò velle reprobos servari, si credant in Christum, ideo vocare illos, mandare ut veniant ad Christum, salutem illis promittere, si modò credant. Et *Musculus* ait *Loco de voluntate Dei p. 451.* Deum velle servari omnes, verum cum hac conditione, si veritatem non respuant *Zanch. quoq; Lib. 3. de N. D. p. 254.* appellationem voluntatis antecedentis & consequentis ex Damasceno repetit. Cum illis itaq; transigat Wendelinus.

3. In specie distinctionem voluntatis divinæ in Antecedentem & consequentem, non esse distinctionem hominum malè intellectam, ut loquitur Wendelinus, sed verbi divini disertam assertionem, jam pridem probatum est, à nostratibus. Et dicat mihi quæso Wendelinus quomodo nonnulla scripturæ dicta dextrè explicare velit, non adhibita hac distinctione voluntatis antecedentis & consequentis. videantur *Matt. 22. v. 3. 8. Luc. 14. v. 16. 24. Matt. 23. v. 37.* Et quid pluribus opus est verbis, cum ipse sub initium *capituli 3. p. 23.* fateatur distinctionem voluntatis in Antecedentem & conse-

E

qua-

quentem, quam Damascenum tradere ait, se non prorsus rejicere, sed commode explicare, ita ut coincidat cum distinctione vulgò accepta involuntatem arcanam & revelatam, signi & beneplaciti, de quibus distinctionibus quid sentiendum, in præcedentibus, partim quoq; postea cum Deo videbimus. Sufficit hac vice Wendenlinum distinctionem voluntatis in Antecedentem & consequentem concedere, quam postmodum appellat distinctionem hominum malè intellectam.

4. Pergit itaq; secundò Thesin suam probare. p. 25. Si aliqua voluntas propriè sic dicta penderet à conditione mutabili, quæ poni vel non poni in creatura pro libero ejus arbitrio posset, sequeretur utiq; causam primam pendere à secundis, non secundas à prima: Respondeo negando consequentiam, nullo enim modo sequitur: Deus vult omnes homines πάντας ανθρώπους salvari, & ad agnitionem, veritalis venire. 1. Tim. 2. v. 4. Sed cum hac conditione: vel potius in scriptura monstrato ordine, ut in Christum credant Job. 3. v. 18. Ergò causa prima, id est Deus dependet à secunda, id est homine. In articulo justificationis Dei voluntas est, ut qui credit in Christum, habeat peccatorum remissionem Act. 10. v. 43. sequiturne voluntas Dei justificandi homines respicit ordinem Dei à se constitutum. Ergò causa prima dependet à secunda. Id legitime infertur: Ergò voluntatis divinæ determinatio, ordinem respicit à se sancitum. Ita ut nemini ab æterno decreverit salutem, nisi facto intuitu ordinis in scriptura ostensi. Sicut enim in tempore non vult quemquam salvari & justificari, nisi ordinatè 1. Thes. 1. v. 9. ita ab æterno neminem salvare decrevit, nisi per ordinem à se sancitum. Nam ut Zanchius ex August. rectè ait Lib. 5. de Nat. Dei. cap. 2. p. 529. Quo quisq; modo aliquis donat, illo etiam modo illud donare decrevit. Ac proinde quomodo sua in nos confert dona, gratiam & gloriam, eodem planè modo etiam in nos conferre ab æterno decrevit ac prædestinavit. Subsumo: atqui dona sua gratiam & gloriam in tempore non sine ordine in nos confert. Ergò ab æterno, non sine ordine conferre decrevit. Hinc ex eadem Schola Solvini de præstinat. Tom. 1. p. 994.

statum

fatetur doctrinam de prædestinatione, fide & justificatione sibi met  
 invicem respondere. Nam ut idem p. 1004. allegati loci fatetur.  
 Quod nunc facit Deus ab æterno facere decrevit: & quo ordine  
 facit eodem facere decrevit. Conferantur quæ idem habet p. 992.  
 Ex quibus omnibus elucet, licet voluntas Dei serua & propriè sic di-  
 cta, ordinem aliquem à se introductum respiciat, malè tamen hinc  
 colligi causam primam deperdere à secunda. Quæ hinc à Wende-  
 lino delibero arbitrio inferuntur, præcedente discursu sunt ventila-  
 ta, ac satis discussa. Unde hinc actum non agemus.

5. Tertiò ita colligit: Si voluntas Dei propriè sic dicta pende-  
 ret à conditione mutabili. Utiq; & ipsa esset mutabilis. At hoc  
 falsum. Ergò & illud. Respondeo iterum negando consequen-  
 tiam. Et ut responsio hæc eò melius intelligatur, placet audire  
 Zanchium Wendelini præceptorem. Ille *Lib. 2. cap. 4. de Nat. Dei*  
*Q. 2. pag. 81.* immutabilitatem Dei asserens ita ait: non inficiamus  
 multa Deum per prophetas minatum esse: quæ tamen non præsti-  
 tit, sed negatur consequentia: esse igitur mutabilem, quasi sim-  
 pliciter mutavit voluntatem. Et fallacia est à dicto secundum quid,  
 ad dictum simpliciter. Deus enim in ijs exemplis, quæ allata sunt,  
 aut afferri possunt, locutus est vel ex conditione: eòq; secunda  
 quid, nempe se hoc vel illud facturum, ni respiciant, vel ut res se  
 habent in causis secundis. Atque ita verè & sine ulla simulatione,  
 minatus est & locutus. Quod verò postea non præstiterit, quod  
 minatus fuerat: non hoc fecit simpliciter: Sed quia in homini-  
 bus, in quos stricta fuerat comminatio, desit conditio. Respue-  
 runt enim. Ergò non sequitur mutatam fuisse voluntatem.

6. Ut jam dicta rectius percipiantur locis aliquot S. Scripturæ  
 eadem illustranda sunt. Dicitur *Job. 6. v. 40. v. 3.* Hæc est volun-  
 tas ejus qui misit me, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, ha-  
 beat vitam æternam. Hoc loco voluntas patris est, omnem in fili-  
 um credentem vitam habiturum æternam. Sequiturne? voluntas  
 patris respicit ordinem sive conditionem fidei, in hominibus sal-  
 vandis. Ergò est mutabilis! Sic *Matt. 7. v. 12.* Qui fecerit volun-  
 tatem patris, introibit in regnum celorum. Hic similiter volun-

tos respicit ordinem Dei, scil. ad facere Evangelicum, de quo Johannes ait. 1. *Epl. c. 3. v. 23.* hoc est præceptum ejus, ut credamus nomini filij ejus Jesu Christi. Quis ex hoc loco inferet voluntatis Dei mutabilitatem, quamvis ordinem seu conditionem habeat adjectam? confer *Matt. 12. v. 49.* ubi spiritualis fraternitas requiritur, ut quis Dei adimpleat voluntatem, sine ullo mutabilitatis metu. In *Actis Apostolorum c. 27. v. 24.* Voluntas Dei fuit, omnes eum Apostolo navigantes ex instante naufragio esse salvos. *v. 28.* Hac tamen expressa adjecta conditione, ut nauta in navi manerent. *v. 31.* valetne consequentia. Voluntas Dei hoc loco respexit conditionem sive ordinem; ergo est mutabilis? Ex his, ut & alijs, quæ adduci possent scripturæ locis videre est, argumentum Wendelini nervis destitui, quando ita colligit: Si voluntas Dei propriè sic dicta, penderet à conditione mutabili, utiq; & ipsa esset mutabilis consequentiam enim falsissimam esse, ex allegatis scripturæ locis liquido constat.

7. Quarto sic infert: Si Deus seriò & propriè aliquid velle serii, quod non fit utiq; frustra velle. At falsum hoc. Ergo & illud. Respondeo, nullum esse in argumento nexum. Nam nulla ratione procedit: non omne quod Deus vult, actu impletur, ergo frustra voluit. Deus fecit nuptias filio suo: & emittens servos, vocavit invitatos ad nuptias, qui cum ad primam invitationem venire recusabant, emisit alios servos, ad invitandum nuptiales. Cum verò & hi adornatas nuptias aspernarentur, iratus Deus immisit penas tanto contemptu dignas. *Matt. 27. v. 3. & seqq.* sequitur ne ex Wendelini hypothese: nuptiales hi non venterunt. Ergo frustra voluit Deus eos venire: vel seria Dei voluntas non fuit ut venterent, quia non venterunt, sive quia non factum est, quod Deus voluit, ergo non seriò voluit. Contrarium dicitur textum dum non semel tantum servos, sed & iteratò alios emittit. Cumq; illorum invitationem ingrati nuptiales fastidirent, iratus Rex, sive Deus esse dicitur. Fingat quis Deum non seriò invitasse homines ad nuptias & vim inferes textui. Et huc collimat locus *Luc. 14. v. 23.* ubi serwo ad invitandum emissio injungitur, ut compellat homines ad cæcissimos invitatos.

g. Ex.

8. Excipit Wendelinus *cap. 15. p. 89.* non valere hanc sequen-  
tiam: Deus jubet vocatos compelli ad intrandum. Ergò eo fine  
omnes vocat, ut ingrediantur regnum cælorum. Respondeo, per  
nuptias & cænam piscator in utrumq; locum intelligit beatitudi-  
nem cælestem, seu vitam æternam. Gualterus exponit de redem-  
ptione nostra, cujus finis sit ut ex peccati servitio, & diaboli tyran-  
nide asserti, in terris vitam cælestem vivamus, & tandem in cælis re-  
gnemus cum Christo. Marlorat. ait vocabulo cænæ exprimitur  
Evangelium gratuitum, & effectus Evangelij. Aretius in N. T. ait:  
nuptiarum parabola ostendit, quanta diligentia & cura Deus pa-  
ter sit conatus, omnibus seculis Judæos ad filij sui cognitionem  
perducere, ut hæredes & cohæredes fierent æternorum bonorum.  
Cum his omnibus religionis suæ socijs Wendelinus prius transi-  
gat, antequam assertioni suæ perquam absurdæ fidem faciat. De-  
inde qua fronte, quaq; conscientia audet asserere vocationem  
fuisse seriam, sed finem non fuisse ut regnum cælorum ingre-  
diantur?

9. Respondet allegato loco, domus in quam jubeatur com-  
pelli, non est regnum cælorum, sed cætus duntaxat Ecclesiæ visi-  
bilis, in qua multi vocati, pauci electi. Respond. licet culpa homi-  
num non verò Dei, ut ex parabola constat, pauci sint electi, qui sa-  
lutem actu consequantur, hinc tamen non sequitur, Deum quos ad  
Ecclesiam vocat visibilem, non eo fine vocare ut ingrediantur, re-  
gnum cælorum. Quis enim finis est homines vocari è Mundi col-  
lue, in cætum Ecclesiæ ubi auditur concio de gratuita peccato-  
rum remissione, nisi ut æternum salventur. Et id adeo verum est,  
ut Wendelinus statim subjungat; faciamus sermonem hic esse de  
compulsione in regnum cælorum. Anne illico finis compulsio-  
nis, hoc est, severæ adhortationis erit ingressus in regnum cælo-  
rum? Respondeo utiq; Id enim scopus istius parabolæ est. Ho-  
mines enim non alio fine vocantur ad regnum gratiæ, nisi ut suo  
tempore fruantur æterna gloria. Regerit: eo fine compelli pos-  
sunt, ut quid officij sui sit intelligant? Ut exclusionis perpetuæ le-  
gitimas causas agnoscant. Resp. fines subordinati non pugnant

E 3

accq

neq; sese invicem tollunt. Quia itaq; Deus admonet homines oblatione gratiæ sui officij, utiq; voluntas illius est, ut oblatam gratiam accipiant. Absurdum enim foret, ne quid dicam gravius, Deum ferio offerre impijs gratiam, & contemtoribus gratiæ irasci, quod concedit Wendelin. p. 90. Et tamen non velle, ut oblata gratia ad salutem utantur, & salventur. Quam tamen verbo suo etiam impijs offert.

10. Regerit p. 82. in salutis negotio, nullas esse ante conversionem liberi arbitrij vires, qua ad gratiam conferendam Deus moveretur. Respond, quamvis homo in spiritualibus non habeat, ante conversionem vires liberi arbitrij in salute promovenda, habet tamen vires in salute impedienda. Et hæc assertio non invertit illud Pauli: non est volentis aut currentis, sed Dei miserentis. Quæ enim consequentia: salus non contingit hominibus ob propria opera, aut merita, sed gratis secundum suam misericordiam salvos nos facit Tit. 3. v. 5. Ergo Deus non vult omnium salutem. Inquis: hac ratione omnes hypocritas Deus converteret, qui eorum, quæ in hominis sunt potestate nihil videntur intermittere. Respondeo. Licet hypocritæ nihil videantur intermittere, tamen revera multa intermittunt, nam dicente *Ursino in Explicat. Catechet. p. 336.* simulant pietatem & cultum Dei. Et quia nec frigidi nec fervidi sunt, sed tepidi, ideo Christus evomit illos *Apo. 3. v. 16.*

11. Querit. Wendel. qui ergo fiat Deum quandoq; ad veritateis agnitionem perducere & fide donare, qui vel unicam audiunt concionem, posthabitis iis qui externæ obedientiæ nomine penè inculpabiles sunt. Respondeo Deus novit corda hominum *Luc. 16. v. 15.* Quamvis ergo multi, similes sepulcris dealbatis, foris appareant hominibus iusti: intus tamen pleni sunt hypocrisis & iniquitate *Matt. 23. v. 27-28.* formam quidem habent pietatis, sed vim ejus abnegant. *Tit. 3. v. 5.* Cum ergo aliquis audita cum studio discendi, unica concione a Deo convertitur. Alij verò in externis, (quantum homines judicare possunt) inculpabiles non convertuntur. Causa illa non est quærenda in Deo salutem multis invidente, quomodo enim is invideret salutem, qui non vult mortem mortis peccatoris *Ezech. 18. v. 33.*

12. Re.

12. Reponit Wendelin. *cap. ii. p. 42.* ex eo quod mortem absolūtè non velle Deus dicitur, malè decretum vitæ conferendæ colligi. Non enim apud Prophetam dici, quid ab æterno de immorigeris & impiis decreverit, sed quid gratum sibi sit, nempe conversio & penitentia impiorum. Respondeo quia mors spiritualis & vita spiritualis opponuntur. utiq; sequitur, qui non vult homines spiritualiter mori, ille vult homines spiritualiter vivere: inter illa duo enim, non datur medium. Inde *Ezech. 33. v. 11.* dicitur non delector morte impiorum, sed ut convertantur & vivant. Cæterum quod ait Wendelinus conversionem & penitentiam impiorum Deo gratam esse, hinc immotè colligo Deum velle impios converti. Quicquid enim Deo gratum est, & quod tanquam debitum ab hominibus exigit illud vult. At concedente Wendelino *p. 42.* conversio & penitentia impiorum Deo grata est, & illam tanquam debitum ab illis exigit. Ergo illam Deus vult. quod tamen hæcenus negavit, & stantibus suis principiis negare cogitur Wendelinus.

13. Quinto Wendelinus Thesin suam voluntatem Dei propriè sic dictam semper impleri ita confirmat: si Deus propriè aliquid fieri vellet, quod tamen non fit, utiq; voluntas Dei impediretur. At falsum consequens. Quod probat ex *Rom. 9. v. 19.* Quis voluntati ejus resisteret. Hinc notam deducit: voluntati divinæ nihil potest resistere. Ergo nec ulla conditio in creatura posita. Respond. consequens quod pro falso habetur, id prævia scripturæ verissimum est. Voluntatem Dei ordinem respicientem non semper impleri, ipse testatur *Zanchius Lib. 3. cap. 4. de N. D. Q. 3. p. 253.* Quædam vult Deus conditionaliter, ut homines omnes salvos fieri. Proinde, quia non omnes præstant conditionem: idcirco non omnes servantur, & voluntas hæc Dei non semper impletur. Et subjungit: voluntas una appellatur absoluta, quæ semper fit: altera conditionalis, quæ non semper fit. Hæcenus Zanch. In oratione Dominica, qua petimus fieri Dei voluntatem, nihil aliud petimus, dicente ipso *Ursino Expl. Cashe. p. 400.* quam id impleri, quod verbo nobis mandatum est, ut vitam verbo Dei revelate confos-

conformem geramus ac Deo obtemperemus. An verò hæc Dei voluntas variis modis quotidie, imò singulis momentis non impeditur? Quis enim est, qui vitam voluntati Dei in Scriptura manifestatæ congruam vivat?

14. Et ut argumenti hujus solutio magis sit perspicua exemplo illustri Pharaonis eandem dilucidabo. Voluntas Dei fuit & quidem seria, ut Pharo dimitteret Israëlitas, illam enim voluntatem toties verbo revelato expressit dicendo: dimitte populum meum, usq; quo non vis mihi subijci &c. *Ex. 8. v. 1. 20. c. 10. v. 3.* Sed Pharo suggestionibus Diaboli, ac servorum persuasionibus seductus, impedivit hæc Dei voluntatem Thraonice loquendo: Quis est Dominus ut audiam vocem ejus, & dimittam Israël. Nescio Dominum & Israël non dimittam *Ex. 4 v. 2.*

15. Illustre hoc exemplum eludere conatur adversarius, dum inquit *p. 28.* Deum noluisse, ut Pharo populum dimitteret. Id probat 1. ex eventu, quia non dimisit. Respond. intermissio dimissionis non probat Deum non voluisse Pharaonem dimittere populum. Verba enim voluntatis divinæ nimis clara sunt: dimitte populum, tum & pæna subsequuta *Ex. 13. v. 15.* idem probat. Nec est ut regerat. Si voluisset Deus, non potuisset non dimittere. Quis voluntati ejus resistit? in præcedentibus enim probatum est, Deum multa velle, quæ homines non præstant. Et posse homines impios voluntati divinæ ordinatæ resistere testatur. Scriptura *Matt. 23. v. 37. Luc. 7. v. 30. Act. 7. v. 51.*

16. 2. colligit Wendelin. *p. 28.* hoc pacto. Si Deus aggravavit cor Pharaonis & servorum ejus, ne dimitteret Israëlitas, ut signorum edendorum occasio suppeditaretur: Sequitur noluisse, ut dimitteret populum. At verum prius. Ergò posterius. Connexi rationem hanc esse dicit: Si Deus propriè voluisset dimissionem populi, & interno suo consilio decrevisset utiq; nõ indurasset cor Pharaonis, ne dimitteret, sed potius emolliisset ut dimitteret. Respondum *p. 6. 7. Thes. 6. 10.* Deum non indurasse, per duritiei novæ immisionem, & contumaciæ alicujus operationem, sed ob præcedentia peccata, per desertionem *Psal. 81. v. 13.* satanæ traditionem  
1. *Reg. 27.*

1. Reg. 22. v. 23. & laudabilem in hominis utilitatem directam, quam homo pessimè abuitur, lenitatem Ex. 8. v. 15. c. 9. v. 34. August. hanc rem *Epist. 105.* ita expressit: nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Proinde quia DEUS non indurat, instillando malitiam, sed tanquam justus iudex, contemptum verbi sui, ablatione gratiæ, ac traditione satanæ vindicando. Hinc malè colligitur DEUS indurat & aggravat cor: id est verbi sui contemptum justè punit. Ergò non voluit populi dimissionem, quam tamen toties præceperat? Actus enim Dei judiciales ita sunt comparatæ, ut tamen id, quod impulsu Diaboli & hominum suffragio, ultro sequitur Deus non velit. Inde non dicitur intextu sicuti Wend. reddit: induravit Deus ne dimitteret sed וְלֹא יִשְׁלַח & non dimittet Ex. 4. v. 21. indicatur quid sua sponte, ablata Dei gratia Pharao facturus, non quid Deus operaturus esset. Ne longius abeamus, in præsentis casu Deus voluit dimissionem populi, vi toties iterati præcepti. Quoniam verò Pharao præceptum illud contemnebat dicens: quis est Dominus, non dimittam Israël &c. Deus vindicavit hanc contumaciam subtractione gratiæ, Pharaonem in suis desideriis relinquendo, & satanæ, tanquam justus iudex tradendo. Unde sponte factum est, Pharaonem non fecisse, quod Deus serio præcepit. Alias detentionem populi, non fuisse profectam ex Dei voluntate vel hinc constat, quod Pharao egerit contra expressum Dei mandatum: dimitte populum. Qui aliquid mandat præsupponit voluntatem mandantis. Et quia serium hoc mandatum contempsit Pharao, Deus propterea eundem graviter punivit. Unde invictè colligitur. Quicumq; ob non-dimissionem punitur, ille non implet voluntatem Dei. At Pharao ob non-dimissionem punitur. Ergò non implevit voluntatem Dei. Ex hypothese autem Wendelini Pharao non fuisset puniendus, qui enim facit voluntatem DOMINI non vapulabit Luc. 12. v. 47. At Pharao (juxta Wendelin. & alios) fecit voluntatem DOMINI. Ergò &c.

17. Sed excipit Wendelinus improbos propterea non excusari, licet quædam faciant, quæ DEUS velit. Nam Herodem & Pila-

tum fecisse; quæ fieri DEUS voluerit *Act. 4. v. 27. 28.* Quis eos pro-  
 pterea non peccasse dixerit? Respondeo, paradoxum est in Theolo-  
 gia, vel id suadente sana ratione, hominẽ peccare faciendo DEI,  
 omnis recti & iusti auctoris, voluntatem. Nam in oratione Domi-  
 nica cum generaliter petimus? Fiat voluntas tua, rogamus DEUM  
 ne homines peccent. Quod si autem adversarii Thesıs vera esset,  
 tum simul DEUM compellarem, ut impii faciendo DEI volunta-  
 tem peccent, quod quam sit absurdum quis non videt. Qui fecerit  
 voluntatem patris introibit in regnum cœlorum. *Matth 7. v. 21.*  
 & manebit in æterni. *Joh. 2. v. 17.* adde glossam Wendelini &  
 videbis absurditatem summam. *Locus Act. 4. v. 27. 28.* nequaquam  
 affirmat Herodem & Pilatum crucifigendo CHRISTUM fecisse  
 DEI voluntatem. Distinguenda enim hæc propositio: conven-  
 runt Herodes & Põntius Pilatus ad faciendum, quæcunque manus  
 DEI & consilium decreverant *verè* fieri. Ab hac: fecerunt  
 Herodes & Pilatus, crucifigendo Christum DEI voluntatem. Pri-  
 ma est in textu, & hunc habet sensum: impios invidia & odio er-  
 ga CHRISTUM perfecisse malo consilio. quod DEUS bono consi-  
 lio fieri voluit. Imposuerat DEUS Christo omnia hominum pec-  
 cata. CHRISTUS ergo pro illis, utpote sponsor noster factus, satis  
 facere debuit. Et potuisset DEUS sine impiorum ope & auxilio  
 hanc solutionem & satisfactionem pro hominum peccatis à Chri-  
 sto exigere, sicuti magnam partem sese offerunt impii, Ergo DE-  
 US illorum malitia ad redimendum genus humanum usus est. Hinc  
 autem non licet inferre: impios illos homines crucifigendo Chri-  
 stum DEI voluntatem fecisse. Voluntas quidem DEI fuit Christum  
 mori, sed ut à Judæis interficeretur, id non fuit DEI voluntas. Hinc  
 textus non ita ait? DEUM decrevisse ut impii, Herodes & Põntius  
 Pilatus, CHRISTUM crucifigerent, sed decrevisse CHRISTUM  
 crucifigi, sive mori. Quæ verò consequentia est: decrevit DEUS cru-  
 cifixionem, sive satisfactionem pro peccatis nostris. Ergo voluit  
 Judæos Christum crucifigere. Hic ergo obtinet Augustini dictum  
 ad Lauren. *Tom. 3. p. 248.* fieri potest ut hoc velit homo voluntate  
 mala,

mala, quod DEUS vult bona. DEUS amore erga genus humanum voluit CHRISTUM mori *Joh. 3. v. 16* Judæi odio & invidia, teste passionis historia, cupiebant CHRISTUM interimere. Duo igitur cum faciunt idem, non est idem, propter utriusq; diversitatem. Dicente enim Dn. *Philip. Melanch. lib. 4 Dial. p. 368.* Differunt in hac actione immensum impulsivæ, formales, & finales causæ, quæ faciunt discrimina actionum in infinitum.

18. Regerit: DEUM juste à suis creaturis exigere quæ ne fiant, justè decrevit permittere, & hac ratione fieri non vult. Quod probat exemplo Abrahami, cui DEUS dat mandatum de immolando Isaac, & tamen voluntas DEI non fuit, Isaacum immolari, licet præceptum tale fuerit, Respondeo ipse textus, indicat fuisse fidei & obedientiæ Abrahami tentationem, de qua Rivetus in h. l. ait: tentavit DEUS Abrahamum & requirebat propensionem voluntatis, & dispositionem ultimam ad actum, non tamen intendebat executionem. Quis vero nexus: DEUS tentando Abrahamum, ut fides illius esset notior & illustrior hominibus præcepit, quod tamen fieri nõ voluit. Ergo in aliis casibus extra tentatione, quædam seriò præcipit, quæ tamen fieri non vult, ut in præsentī loco, præcepit Pharaoni dimissionem populi sui. Et tamen, impiè dicente *Zanchio*, Wendelini præceptore *Lib. 5. de N. D. cap. 2. p. 548.* DEUS excitavit ad indurationem cordis, ut resisteret Mosi & non dimitteret populum, imò excitavit ad omnia illa agenda, quæ egit mala, Ex dictis patet verum esse: à diversis mala fit illatio. Atqui hoc modo quintum Wendelini consideravimus argumentum.

19. Sextò ita colligit: Conditionalis hæc voluntas, otiosa est in eo, qui est potentia infinita. Quid enim attinet à conditione mutabili finem suspendere, si propriè & seriò eum velit, possitq; media infallibilia procurare efficiendo vel permitendo. Respond. discursus hic valeret, si DEUS vellet in salutis negotio absolutam potentiam & voluntatem, nullam conditionem respicientem exercere. At sicuti placuit DEO per ministros. *1. Cor. 3. v. 5.* & verbum prædicatum *Joh. 17. v. 26.* homines salvare. *1. Tim. 4. v. 16.* Ita quoque voluntas DEI in salutis nostræ negotio non est absoluta,

sed ordinata. Quod vel executio invictè probat. Quà ratione enim DEUS in tempore justificat & salvat, eo modo ab æterno justificare decrevit. Supra enim *Th. 4.* *Sohnium* dicentem audivimus *Tom. 2. p. 992.* DEUS sicut facit & exequitur, ita facere & exequi, non aliter decrevit, & sicut non facit, ita non facere decrevit. Quia ergò in argumento diversa confunduntur, proinde nulla est consequentia. Et ad nauseam fermè in superioribus probatum est, DEI voluntatem ordinatam non semper impleri, imò homines impios sæpe eidem resistere. *Vide Th. 21. p. 32. 32.*

10. Septimò sic infert: Voluntas à mediis mutabilibus, & quæ revera mutantur suspensa, pugnat cum æterna & immensa DEI sapientia: qui enim Infallibiliter omnia prævidet & disponit, non opus habet decreta sua à mediis mutabilibus suspendere &c. Respondeo, non hic queritur, an DEUS opus habeat decreta sua à mediis suspendere, ut adversarius loquitur, sed id in quæstione est, quid prævia Scriptura DEUS in salutis nostræ negotio velit, & quo modo, an absolute hujus ab æterno decreverit salutem sine ulla conditione, an verò ordinatè. Hic si Scripturam consulimus, videmus primò nos esse electos in CHRISTO *Eph. 1. v. 4. & Job. 1. v. 12* in CHRISTO autem non sumus sine fide *1. 3. v. 17.* elegit ergò nos DEUS ab initio in Sanctificatione Spiritus & fide veritatis *2. Theß. 2. v. 13.* voluntas ergò DEI gratis nos eligentis respexit ordinem illū, quem in executione sequitur. Qualis enim executio decreti, tale quoq; est ipsum decretum. At executio ordinem respicit. Ergò & ipsum decretum. Falsissimum ergò est, voluntatem DEI ordinem respicientem, pugnare cum immensa DEI sapientia. Annon enim æterna & immensa DEI sapientia, in gratuita nostra Justificatione elucet, & tamen non justificamur sine mædio. Et cogitet Wendelinus quid responsurus sit Photini asseclis, DEUM sine CHRISTI redemptione nos salvare affirmantibus. Certè si salva hypothese Zanchii *lib. 5. c. 7. de N. D. p. 547.* DEUS absolutissimus est DOMINUS, qui ita misereatur, ut illius misericordiæ nulla causa assignari possit, nisi DEI voluntas. Cur non potest nos DEUS ex eadem ratione justificare, & salvare, absolute sine CHRISTO fide apprehenso!

21. Octa.


21. Octavo andem ita colligit. Voluntas DEI Universalis omnium rerum causa est. Fieri igitur nullo modo potest, ut effectus eam non consequatur. Respondeo. Voluntas DEI absoluta, rerum omnia causa est absolute & illa semper fit. At conditionata DEI voluntas non semper impletur, quia Dicente Zanchio *de lib. N. D. cap. 4. p. 353.* homines non præstant conditionem, & voluntas hæc DEI, affirmante eodem Zanchio non semper impletur. Voluntas DEI fuit Theſſalonicenses vivere sanctè, & abstinere à Scortatione 1. *Theſ. 4. v. 3.* anne hoc propterea factum est, & nulli fuerunt in illa Ecclesia Scortatores? Apostolus ipse testatur multos ibidem vixisse ἀτακτους 2. *Theſ. 3. v. 11.* non obediens sermoni *v. 14.* allegato loco. Hinc ergo videmus effectum non semper sequi divinam voluntatem.

22. Sed regeritur à Zanchio allegato loco voluntatem DEI conditionatam esse tantum voluntatem signi, id est improprie ita dictam, sed voluntatem beneplaciti esse proprie dictam voluntatem. Respondeo blasphemum est dicere DEUM aliquid serio, velle & præcipere voluntate signi, voluntate autem beneplaciti idè non velle. Ut voluisse voluntate signi seu verbi ministerio per prophetas Judæos congregare, & tamen ab æterno decrevisse amissam gratiam non restituere, ut loquitur *Wendelin. c. 11. p. 42.* vel iussisse DEUM ut Pharao dimitteret populum, nec tamen voluntate beneplaciti, placuisse DEO ut populus dimitteretur, sicuti impiè loquitur *Zanchius de N. D. lib. 3. cap. 4. p. 254.* Et ex eo *Wendelinus cap. 9. p. 27.* eandem assertionem in crustat dicendo: Jubeat (DEUS) nihilominus dimitti populum, quem dimitti non vult, & nedimittatur iusta induratione prohibet.

23. Negat autem *Wendelinus p. 30.* esse impietatem dicere DEUM quædam velle voluntate signi, quæ non velit voluntate beneplaciti, quia ratio hic sibi fingat contrarietatem, eò quod finem præceptionum ac prohibitionum semper non assequitur. Quod probat duobus exemplis, quorum primum desumptum ab Isaaco, & quarit an voluntas signi de Isaaco immolando, contraria fuerit signato, hoc est, voluntati beneplaciti, de Isaaco non immolando.

F 3

Secun-



Secundum de promittit ex 2. *Sams. 16. v. 10.* ubi DEUS mandat Simeï maledicere David. Quod tamen *Ex. 22. v. 28.* prohibuit, ne quis seil. maledicat principi, Respondeo ad primum ubi dicitur rationem sibi fingere contrarietatem, ignata prohibitionum & præceptionum, quod si hoc intelligitur de ratione humana in mysteriis fidei sibi relicta, verum est: quod si verò id eo extendatur, quod quædam seriò in salutis nostræ negotio à DEO præcipiantur, quæ obstante malitia humana, non impleantur. Et hinc inferri posse, DEUM id non velle, quod non semper fit. Verbi gratia conversionem hominum, quæ actu non sequitur, tum id legitima consequentia inferri negamus. Repetantur hic ne actum negamus quæ p. 30. *Th. 20. & seqq.* hac de re dicta sunt.

24. Ad exemplum de immolando Isaac supra *Thef. 13.* responsum est, fuisse tentationem, qua dicente in h. l. ipso CALVINO Deus fidei experimentum in servo suo capere voluit, proinde hic locus probationem fidei Abrahami continens, cum alijs scripturæ dictis ab adversarijs adductis, quibus mandati divini, & voluntatis ejusdem contrarietatem probare intendunt, ἀπεσδιονίσως allegatur. Quamvis enim hic in casu tentationis, Abrahami, Deus nō voluerit quod antea ratione Abrahami voluisse videbatur, hinc inferre nō licet in alijs extra tentationem casibus id obtinere. Unde ipse Wendelinus fatetur, id quod per signi voluntatem Deus notificat, ejus contrarium Deum intus non statuere, quia signum, & signatum nunquam sibi opponantur, sed ad se invicem referantur. Idem est quod nos in hac præsentī materia urgemus.

25. Exemplum Simeï Davidi maledicentis adversarium non juvat. Simeï enim maledicendo Regi Davidi voluntatem Dei non fecit. Illud enim si fuisset factum, quomodo David jam morti vicinus, ac animam suam Deo commendaturus, salva conscientia dicere potuisset: *Reg. 2. v. 8.* Simeum maledixisse sibi maledictione acerrima, ob quam morte sit plectendus *v. 9.* Si quis textum urgeat, ubi dicitur לְדָוִד אָמַר דֹּמִיָּנִים דִּיכִי. DOMINIUS dixit ei. Respondeo maledictio Simeï consideratur, vel respectu ortus seu termini à quo, & facto intuitu animi malevoli ac maledici: vel ratione directionis

tionis, seu terminationis ac ostensionis certi objecti, sive respectu termini ad quem. Priori consideratione dicimus cum August. *A. 10.* sibi falso imposito detestandum & abominandam esse opinionem, quæ DEUM cujus quam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem. Quia ergo Simeï contra expressum DEI verbum, voluntatem divinam nobis exponens egit *Exod. 22. v. 28. prov. 10. v. 20.* & eo nomine debitas luit pænas. Quis eundem ex DEI mandato maledixisse affirmabit? Quod vel hac ratione evidenter probari potest: Qui maledicit contra expressum, & seriũ DEI mandatum, & maledicendo justas sibi attrahit pænas, non facit eo ipso DEI voluntatem. At Simeï maledicit contra expressum & seriũ DEI mandatum, & maledicendo justas sibi pænas attrahit. Ergo non fecit DEI voluntatem Unde *August. Lib. de Gr. & Lib. Arbitr. p. 774.* ait de hoc Simeï exemplo: Si jubenti obtemperasset DEO, laudandus potius, quam puniendus esset. Quatenus verò terminus maledictionis ad quem consideratur, & DEUS malitia Simeï quàm in ipso invenit, non autem operatus est ad castigandum Davidem ulus, eo respectu dicitur: DOMINUS dixit: maledic David. Hinc *Chem. de Caus. peccat. p. 379.* eleganter ait: cum DEUS vellet Davidem pænis exercere, & Simeï haberet maledicum animum, dixit ei, ut malediceret Davidi, non operans vel efficiens in ipso animum malevolum. Hactenus ergo *Wendelinus* non probavit DEUM voluntate signi aliquid præcipere, cujus contrarium voluntate beneplaciti velit.

26. Postquam ergo hactenus pleraq; effugia Universali vocationi opposita perlustravimus, rectã nunc progrediendum ad argumenta quibus *Thesi* suæ: DEI intentionem nunquam fuisse omnes vocare adversarij fidem facere conantur. *Wendelinus* itaq; *Cap. 16. p. 95.* primò ita colligit. Si ad veritatis agnitionem singula singulorum individua pervenire DEUS vellet, cur ignorantia tempora dissimulasset, & pænitentia præconium, post CHRISTI demum adventum omnibus ubiq; hominibus annuntiasset. *A. 17. v. 30.* Ex quo loco, talis formari potest discursus. Qui dissimulat tempora ignorantia, & pænitentia præconium post CHRISTI adven-

adventum differt, ille non omnes ad regnum gratiæ vocat. Prius loco citato tribuitur DEO. Ergò & posterius. Respondeo allegatus locus agit de discrimine veteris & Novi Testamenti. In veteri Testamento, quamvis fores gratiæ gentibus non sint præclusæ, non tamen ita directè ut in Novo Testamento ad Ecclesiam vocabantur. *Act. 10. v. 28.* Judæi enim, quia præ gentibus magnam habebant prærogativam *Psal. 147. v. ult.* primum vocandi *Rom. 1. v. 16.* Unde sub initium ministerij Apostoli prohibebantur in viam gentium ire *Matt. 10. v. 5.* non quod DEUS *Φιλάνθρωπος* salutem illis invideret, aut eosdem plane non vocaret *Act. 14 v. 17.* Sed quod certo ordine à DEO decreto, omnia agenda essent. *Act. 13. v. 46. 6. 18. v. 6.* Quæ verò consequentia: DEUS gentes in veteri T. non ita vocavit, ut in N. ergò nullo modo vocavit. Contrarium testatur Paulus *Rom. 1. v. 19. Act. 17. v. 26. 27.* Deinde testatur hic locus apertè vocationem N. T. esse Universalem. Unde Aretius in h. l. rectè ait: Evangelij doctrina est Universalis, nullum excludit. Qua veritate ergò Beza *Resp. 2. ad coll. p. 194* ait: nunquam tempus fuisse aut futurum, quo DEUS velit omnium misereri. Ipse Wendelinus fatetur, reprobos quoq; ad salutem serio vocari quatenus admonentur, ut perfectos se exhibeant in CHRISTO, hoc est quatenus perfectio hæc ipsis imperatur. *Cap. 15. p. 87.* Quod verò subjungit non eodem fine id exigi à reprobis quo ab electis, id impium est dicere, & in DEUM veracem injuriosum. Talis enim illicita simulatio ne in hominem quidem cadit cordatum, & politicè bonum, multo minus DEUM benedictum in secula.

27. Secundò inquit: cur retracti fuissent Apostoli per spiritum ab Asia *Act. 16. v. 6.* Respondit jam ante *Ambros. Lib. 2. de vocat. Gent. p. 23.* dicens non utiq; negata fuit illis populis gratia, sed quantum apparuit retardata. Nam postea etiam apud ipsos fides Christiana convaluit. Hactenus ille. Quæ verò sequela: DEUS in vocandis ad sui cognitionem ordine aliquò utitur, ut Aretius loquitur in h. l. Ergò non omnes vocat. Asianos enim, postea verbum DEI audivisse testis est Lucas *Act. 19. v. 10. 26.* Unde integræ

integre ibidem fuerunt Ecclesiae. 1. Cor. 16. v. 19. Apoc. 1. v. 4. Cur autem vetiti sint tum temporis verbum DEI loqui in Asia, rationem assignat ipse Aretius, quia DEUS viderit Apostolos oleum & operam frustra consumpturos, & Macedones, quorum animi ad messem jam parati erant neglecturos. Et subiungit allegato loco, reliquis suo tempore veritatem fuisse revelatam. Hactenus ergo Wendelinus nihil subsidii pro vocationis particularitate ex allegato loco habet.

28. Tertio ita colligit. Cur praeteritis aetatibus fuisset DEUS gentes in suis ipsarum viis incedere. Respondeo repetenda hic sunt, quae Th. 26. ad locum Act. 17. v. 30. responsa. Unde patebit hanc illationem nullius esse roboris: permisit DEUS gentes incedere viis suis, id est, idolatras esse. Ergo easdem ad gratiae divinae participationem nulla ratione vocavit. Hanc consequentiam textus refutat, dum ait: DEUM gentes viis suis incedere sinentem, se non reliquisse ἀπάργων, dum illustria semper in mundo passim reliquit testimonia, ex quibus veris DEUS cognosci, & idolorum vanitas satis perspicui poterat conf. Rom. 1. v. 19. & seqq: Cui accedit Ecclesiae verae Israëliticae celebritas, ac variorum miraculorum fulgor & eximia claritas, quibus moti multi, relicto paganismo, ac idolorum vanitate veram religionem amplexi sunt, ita ut Salomonis tempore, jam tum in Israel fuerint centum quinquaginta tria millia profelyti 2. par. 2. v. 17. Quod ergo plurimae hanc vocationem neglexerunt, non DEO sed sibi metipsis, ac propriae desidia imputandum.

29. Quarto Wendelinus hoc utitur discursu: cur DEUS mysterium Evangelij à temporibus secularibus, tacuisset Rom. 16. v. 25. 26. Respondeo, locus hic nihil aliud probat, quam primò vetus & Novum Test. differre claritate & patefactionis gradibus, ita ut respectu lucis N. T. Evangelium in T. V. dicatur tacitum. Sub typis enim sacrificiorum illud adumbrabatur. Deinde gentes in V. T. non ita directe vocatas, ut in N. T. num verò hinc probari potest, DEUM ad veritatis agnitionem singula singulorum saeculorum individua pervenire non velle? Plus hic est in conclusione, quam fuit in praemissis.

G

30. Quin-

30. Quintò hoc modo infert: Cur gentes olim fuissent absq; CHRISTO, alienæ à Republ. Israelis, extraneæ à pactis promissionis, spem non habentes & DEI expertes in mundo. *Eph. 2. v. 1. 12.* Respondeo. exponit Apostolus statum Ephesiorum adhuc in paganismo viventium, qui facta præsentis status post conversionem scil. collatione, fuit miserrimus. Quis verò aliquem ita inferentem patienter audiret: Ephesii ante conversionem, fuerunt sine CHRISTO &c. ergò DEUS illos ad veritatis agnitionem pervenire non voluit. Nam de illis quibus gratia Evangelii abundanter collata dicitur, quod *ἐν τῷ κρηρῶ ἐκείνῳ χρόνῳ ἤρως* fuerint, &c. attamen non obstante misero illo statu, & conditione deploranda, DEUS qui dives est misericordia, eos in CHRISTO vivificavit. Cæterum cur non ita directè in V. T. vocata gentes, sicuti in Novo, hac de re dictum est *p. 2. Thef. 3.* & conf. hujus disp. *Tb. 28.*

31. Sextò hunc in modum colligit: cur hijs ætatibus non innotuisset filijs hominum, gentes esse cõhæredes & concorporates consortesq; promissionis in CHRISTO *Ep. 3. v. 5. 6.* Respondeo textus loquitur comparatè non absolutè. Non enim negatur Evangelium de vocatione gentium in V. T. non fuisse suo modo revelatum. Reclamant enim plurima vaticinia. vide inter multa loca *Gen. 12. v. 6. Psal. 2. v. 8. Psal. 72. v. 10. 11.* sed *ὡς νῦν ἀπεκαλύφθη*, ut nunc revelatum est, ipso scil. complemento. Manifesta ergò, ut inquit Arætius, est diversorum temporum collatio. Quis verò terminorum nexus: lux N. T. major lucè V. T. Ergò DEUS non vult omnes ad agnitionem veritatis pervenire!

32. Septimò sic concludit: cur mysterium Evangelii fuisset absconditum à seculis & ætatibus *Col. 1. v. 26. 27.* Respond. argumentum hoc, ejusdem est eum præcedentibus valoris, nihil aliud enim infertur, quam primò: doctrinam Evangelii rationi humanæ reconditam. Deindè claritatem ejusdem in N. T. longe majorem, quam in V. fuit. Inde vero quomodo inferri possit, quod est inter nos & adversarios controversum: agnitionem scil. veritatis non pertinere ad omnes, non video. Qui enim dicit

*ἐπισημασθῆναι τὸ μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου*

Evangelium est doctrina rationi humana ignota, & in Novo Testamento lux ejus longè major, quam in veteri fuit, ille non rectè infert: Itaq; DEUS non vult omnium hominum salutem: sive, non vult omnes ad veritatis agnitionem venire.

33. Octavo Wendelinus assertioni suæ fidem facere conatur *Cap. 10. p. 37.* ex eo, quod plurimis ne occasionem quidem DEUS dederit, audiendi conciones &c. id probat experientia & eventu. Respond. Valeat successibus, quisquis ab eventu rem judicat. Proinde infirma est probatio: Non omnes audiunt conciones. Ergò DEUS non vult omnes audire. Et licet Wendelinus crambem suam de hypo critis recoquat, antea tamen responsum est, illos licet videantur circa media salutis solliciti esse, nihil minus eos tamen facere; utpote qui labiis DEUM glorificent, corde procul remoto *Esa. 29. v. 13.* quod & ipso eventu comprobatur *CHRISTUS Mess. 15. v. 9.*

34. Nono ita colligit. Si DEUS omnes beare decrevisset qui media (verbi divini) externa amplectuntur. Utiq; actu quoq; bearet. At consequens falsum. Respond. confunduntur diversa. Aliud enim est: DEUS actu vocat homines ad Ecclesiam: & homines vocati actu beantur. Ad particularitate salvationis: ad particularitatem vocationis non datur firma consequentia, ut ex præcedentibus abunde satis patet. Cur autem in quibusdam sequatur gratia interior, qui mediis utuntur, in aliis non item. Causam non referimus Wendelinum cum complicibus Secuti in DEUM, sed in homines ipsos quorum alii cum studio discendi *Act. 13. v. 7.* cæteri animo contradicendi *Act. 17. v. 5. c. 18. v. 6.* verbum audiunt. omnes ergò qui audit & didicit (non malitiosè contradicit) venit ad CHRISTUM *Job. 6. v. 45.*

35. Decimo. ita argumentatur. Ubi est æqualis benevolentia vocandi homines, ibi etiam æqualiter vocantur. At consequens falsum esse probat experientia Ergò. Resp. major, falsissima est. Nam qui tempore CHRISTI vocati sunt, & qui hodie vocantur, non æqualiter vocantur: Illi enim ipsum CHRISTUM viderunt, & miracula conspexerunt. Nos nihil horum: & tamen DEUS hodie

hodie æquè vult homines salvari, sicuti tum temporis. Quamvis non æqualiter vocentur. Inæqualis ergò vocatio, non infert DEUM non omnes vellet vocare. Nec iuvat Wendelinum, quod p. 41. ait: non velle DEUM omnes per verbum trahere, quia oblationes quandoq; posthabitis tractabilioribus vocet, quod probat ex *Ezech. 3. v. 5. 6. 7. Matt. 11. v. 12.* Respond. in utroq; loco exaggeratur summa, judæorum contumacia, & detestanda impietas, quod ne quidem DEO extraordinariè per Prophetas, ac miracula per ipsum CHRISTUM edita, vocanti obtemperate voluerint. Nulla verò firma consequentia: vocatio extraordinaria per Prophetas & miracula facta est particularis: ergò DEUS non vult omnium salutem. Hodie nemo per Prophetas immediatè missos, neq; per miracula, vocatur. Num autem hinc inferre licet: DEUM propterea illorum non velle salutem, quos non ita vocat extraordinariè. JEHOVA quia peculiariter Judæos in suum populum elegerat *Deut. 7. v. 6.* voluit quoq; extraordinariè cum iisdem agere. Inde verò vocationis particularitas non infertur. A negatione enim modi vocationis, ipsius vocationis, negatio malè infertur, ut ex dictis patet.

Hactenus itaq; DEO auxiliante tria illa in articulo prædestinationis necessaria: Universalem scilicet à parte DEI gratiam Universalem CHRISTI meritum: Universalem vocationem, breviter consideravimus. Futuro discursu: an quis gratia illa DEI excedere queat, cum DEO, videbimus. Interea Regi Regum, & Domino Dominantium *1. Tim. 6. v. 15.* laus sit & gloria, quod nos miseros homunciones, à tenebris ad lucem, à potestate Satanz ad DEUM *Act. 26. v. 18.* converterit, & in regnum filii sui dilecti transfulerit

*Col. 1. v. 13.*

**SOLI DEO GLORIA!**



# COROLLARIUM.

Qui cum scriptura, vi divina benedictionis Gen. 1. v. 28. primum data, ac Gen. 8. v. 17. solenniter repetita, hominem generare hominem, anima ac corpore constantem, in peccato (cujus  $\pi\epsilon\sigma\omega\tau\omicron\nu$  deum  $\tau\iota\mu\omicron\nu\delta$  est anima) conceptum & natum Psal. 51. v. 7. affirmat. Quiq; previo Dei verbo, animas filiorum de scemore parentum egredi, id est nasci & propagari Gen. 46. v. 26. Ex. 1. v. 5. dicit, ille non improbabiler & summo cum periculo, sicuti ante paucos dies ex hac cathedra publicè dictum, ac typis divulgatum, aliquid statuit ac defendit; quippe cum duce Spiritus S. illud asseveret, quod verbo divino consonum; licet ratio humana non omnia ex asse momenta, quomodo anima propagetur, assequatur. Taceat ergò in hac questione ancilla, & loquatur domina. Plus enim credendum est scriptura afferenti, quam rationi nostræ, difficultates fingenti. Qui verò hodie animas immediatè à Deo immortalis produci ait, ille non sine absurditate scripturæ, Deum ab ordinaria creatione die septimo quievisse affirmanti, Gen. 2. v. 2. obloquitur. Plura de hac Quæstione dicenda, ipsi discursui publico, ex Scriptura instituendo reservamus.

## I. JOHANNES MOELLER AH, ERONE MOLLIENS?

**T**heologia variis pòsthac, Sophiæq; trophæis,  
MOELLERE, molliens eris

Gratulor audenti meritò, jubeoq; secundum  
Opus, licet grave, aggredi.

II. Qui non vult ullos æternà morte perire,  
Exitio nullos destinat, atq; neci:

Hinc miror, tanto quosdam insanire furore,  
Velle DEUM mortem, dicere nè dubitent.

III Cur DEUS hunc vitæ, sed morti adjudicet illum,  
Res ea difficilis, aspera, dura lateat.

Sed, via cui vitæ CHRISTUS calcatur eundo  
Res illi facilis, prospera, pura patet.

*Amorù & honorù in præstantiss:*

*Dr. M. MOLLERUM, amicùm sibi mul-*  
*tùm devenerandùm, Theologicè disputa-*  
*turum, restandi ergò deproperabat*

Georgius Nicolaus Erasmi Ecclesiæ

Lagensis. Past.

Dogmata


**D**ogmata vera cupis defendere, *Clare* MAGISTER  
VERBUM quod saluum quemvis habere velit?  
Dogmata falsa simul dissoluito *Docte* MAGISTER  
Saluos quod VERBUM dicat habere aliquos,  
Et si praterea spargentur res aliena  
Responde solidè, gloria certa manet.


Amico candido  
M. Michael Wagner.

---

**O**Mnes vocavit cœlica gratia  
Omnes redemit sanguine Filius  
Cupiendò cunctorum salutem  
Magne doces populos Luthere  
Paucos vocavit, cœlica gratia  
Paucos redemit sanguine Filius  
Cupiendò paucorum salutem  
Vos actis malè Puritani  
Florens Sophorum gloria florida  
Nostri Lycei gemma nec ultima  
MOLLERE, scriptorum sacrorum  
Notitiâ egregiè expolitè  
Rectè Lutheri dogmata consona  
Scriptis sacratis publicus asseris  
Extrema *Calvini* atq; *Huberi*  
Dogmata dum fugis & refutas  
Grator: cathedram tu modo pectore  
Conscende lato: nec dubita, tibi  
Quin veritas palmam datura  
Sponte sit: hoc voveo: fatiscè?

M. FRIDERICUS WAGNER.





the scale towards document

linus *cap. 15. p. 89.* non valere hanc sequen-  
tios compelli ad intrandum. Ergo eo fine  
rediantur regnum caelorum. Respondeo, per  
secator in utrumq; locum intelligit beatitudi-  
nam aeternam. Gualterus exponit de redem-  
tionis sit ut ex peccati servitio, & diaboli tyran-  
tam caelestem vivamus, & tandem in caelis re-  
s. Marlorat. ait vocabulo caenae exprimitur  
n, & effectus Evangelij. Aretius in N. T. ait:  
ostendit, quanta diligentia & cura Deus pa-  
tribus seculis Indaeos ad filij sui cognitionem  
& cohaeredes fierent aeternorum bonorum.  
igionis suae socijs Wendelinus prius transi-  
tioni suae perquam absurdae fidem faciat. De-  
iq; conscientia audet asserere vocationem  
tem non fuisse ut regnum caelorum ingre-

gato loco, domus in quam jubentur comi-  
caelorum, sed caetus duntaxat Ecclesiae visitati,  
pauci electi. Respond. licet culpa homi-  
ex parabola constat, pauci sint electi, qui sa-  
tur, hinc tamen non sequitur, Deum quos ad  
tem, non eo fine vocare ut ingrediantur, re-  
is enim finis est homines vocari e Mundi col-  
esiae ubi auditur concio de gratuita peccato-  
ut aeternum salventur. Et id adeo verum est,  
i subjungat; faciamus sermonem hic esse de  
um caelorum. Anne illico finis compulsio-  
hortationis erit ingressus in regnum caelo-  
q; Id enim scopus istius parabolaest. Ho-  
sine vocantur ad regnum gratiae, nisi ut suo  
erna gloria. Regerit: eo fine compelli pos-  
sit intelligant? Ut exclusionis perpetuae le-  
cant. Resp. fines subordinati non pugnanti

E 3